



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II. Declaratio harum Thesium facta per ipsos Remonstrantes Anno 1619.
14. Ian.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

7. Electio singularium personarum peremptoria est ex consideratione fidei in Iesum Christum & perseverantia, non autem citra considerationem fidei & perseverantia in vera fide, tanquam conditionis in eligendo prærequisita.

8. Reprobatio à vita æterna facta est secundum considerationem antecedentem infidelitatis & perseverantia in infidelitate, non autem citra considerationem antecedentem infidelitatis aut perseverantia in infidelitate.

9. Omnes fidelium liberi sunt in Christo sanctificati, ita ut nullus eorum ante usum rationis ex hac vita decedens, peccat: Nequaquam autem in reprobatorum numero censentur etiam nonnulli fidelium liberi in infantia sua ante vllum peccatum, in propria persona commissum, ex hac vita decedentes: adeo ut nec baptismi sacrum lauterum, nec preces Ecclesiæ ipsi vlllo modo ad salutem prodesse possint.

10. Nulli fidelium liberi baptizati in nomine Patris, & Filij & Sp. Sancti in infantia sua statu viventes absoluto decreto reprobatis adscribuntur.

II. Declaratio sententiæ Remonstrantium de Prædestinationis Decreto, in hunc modum ab eis est concepta. Ut de Prædestinationis Decreto Articulus, decem propositionibus à Remonstrantibus expressus solidè ac planè intelligatur, operæpretium est, ut nonnulla, quæ in thesibus (vtri ferè fieri solet) brevibus & succinctis quibusdam terminis enunciata sunt, clarius & dilucidius ob oculos proponantur, & vtriusque partis sententia, tum Remonstrantium, quæ planalicer atque perspicua satis sit, tamen odiose sæpe proponi solet, tum imprimis Contra-Remonstrantium, quæ mirum in modum occultari, abscondi & coram populo rudi atque indocto magno studio & cura incurstari solet, declaratione quâdam propiore in lucem eruat & ad vivum relecta oculis omnium subijciatur.

Hoc ut fiat, ad tria quædam capita sedulo attendendum & animadvertendum esse arbitramur. Primum est, ut perspicue declaretur, quid per Electionem ad vitam æternam, & Reprobationem à vita æterna vtriusque intelligatur. Secundum est, quis divinorum actuum ordo in Decreto tum Electionis, tum Reprobationis ab utraque parte constitui soleat. Tertium est, Quæ ratione termini varij hinc inde usurpati, & in thesibus Remonst.

expressi, intelligendi sint, ne alicui amplius ferantur pro latribus & *χρησθησιν* ad sententiam propriam & genuinam, quam in sinu foueat, occultandum & abscondendum.

III. Primum caput quod attinet, Electionis vocem triplici ferè significatu accipi solere in sacro codice fatentur Remonstrantes.

Primo significet Electionem ad gratiam Evangelicam, id est, vel decretum ipsum æternum de eligendo i. gratiosè vocando, & sic quasi eximendo, segregando & sequestrando homines ad participationem & communionem beneficiorum singularium illorum, quæ Evangelico comprehensa sunt; quo sensu accipi nobis videtur ad Eph. 1. 4. cum dicitur, *Sicut elegit nos in ipso ante iacta mundi fundamenta*, pro eligere, seu per Evangelium ad communionem gratiæ supercælestis evocare decrevit; tanquam scilicet primus auctor & fons gratiæ omnis atque misericordiæ: vel ipsam actualem, quæ in tempore fit, segregationem, seu potius evocationem per Evangelij gratiosam prædicationem; quo sensu accipitur vox Electionis *Joan. 15. 19. Quia ex mundo non estis, sed ego elegeri vos ex mundo, propterea odit vos mundus.* Electio enim hæc evocationem & segregationem ex mundo mundanisque studiis significet necesse est. Pet. 1. 10. *Quapropter fratres potius studete vocationem & electionem vestram firmam facere.* Item. 1. ad Thess. 1. 4. *Ut qui sciamus fratres dilecti, à Deo electionem vestram*, id est, vocationem vestram à Deo auctore profectam esse. De Electione enim æterna omnium Thessalonicensium, ad quos scribitur, Apostolum hæc dixisse nullo modo verisimile est. Segregatio autem vel evocatio hæc, electio siue selectio appellatur duplici ferè de causa; vel, quia è communi hominum cætu populi sæpe nonnulli alijs quibusdam certo Consilio divino præteritis & relictis, vtri in Electione proprie dicta fieri solet, evocantur, & quasi eximuntur ad audiendum, & sic ad participandum Evangelij gratiam singularem; siue evocationi illi diuinæ morem gerant, quo sensu 1. ad Cor. 1. vers. 26. 27. *stulta, infirma, ignobilia mundo, elegisse*, dicitur Deus, id est, evocasse ita, ut obedirent Deo vocanti, vel saltem obedire se professi sint, & hoc sensu vox Electorum in scripturis non raro accipitur; siue ad obediendum Evangelio à Deo tantum invitentur: quæ ratione de Gentilibus dicitur passim, quod relictis Iudæis ipsi

electi